



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs


Escobar y Mendoza, Antonio de

Lvgdvni, 1659

Cap. I. De essentia status Religiosi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41066


83. *Quis Notarij munus apud visitatorem exerceat; potest ne aliquid accipere à visitatis? Si de eius familia non est, nec habet salarium ex publico, potest accipere, modò aut statuto, aut consuetudine non prohibeatur. Ita quidem Emanuel.*



EXAMEN .KII.

Circa materiam de statu Religionis.

De essentia status Religiosi.

1.  *Vid est Religionis status? Fidelium ad Christianam perfectionem tendentium editis votis, perpetua paupertatis, castitatis, ac obedientiae stabilis in communi modo viuendi modus ab Ecclesia approbatus. Dicitur quidem perfectionis status non eo sensu, quod omnes Religiosi perfecti esse debeant, sed ad perfectionem tendere.*

2. *Num debeat esse approbatus à Summo Pontifice Religiosus Ordo? Ita planè; quia Ordo Religiosus est sacer quidam cœtus habens spiritualem iurisdictionem, quæ ab Ecclesie Prælati, præcipuè à summo eius capite Romano Pontifice debet prouenire.*

3. *Quidnam ad status Religiosi essentiam requiritur? Trium votorum editio siue solemnium, siue simplicium, dummodò Ecclesie autoritate acceptentur. Hinc colligo Ordines Religiosorum licet inter se differant accidentalibus regularum suarum discrimine, tamen in essentialibus conuenire.*

4. *An nostra Societatis filij tria simplicia vota edentes vti sint Religiosi? Quis abneget cum sese Societati dedicent, & actu tradant quantum ex parte ipsorum irrevocabiliter. Possunt tamen dimitti Superiorum autoritate ad eum modum, quo serui manumittuntur, licet ipsimet discedendi careant libertate. Ante dimissionem autem inualidè contrahere matrimonium certum omninò Ecclesie præscriptione.*

5. Qui in Ordinibus militaribus castitatem non absolutam, sed tantum conjugalem vouent; sunt ne Religiosi proprie? Minime: secus milites Sancti Ioannis & Ordinis Teutonici, qui tria vota substantialia absolute edunt.

6. An Religiosi, qui editis votis perpetua castitatis, ac paupertatis obedientiam vouent Episcopo, aut Confessario? Non; quia tali voto non subiiciuntur spirituali iurisdictioni Ordinis.

7. Num Summus Pontifex possit in solemnibus votis dispensare? Potest aded vt aliquis Religiosus esse desinat; nam cum possit in simplicibus, consequenter potest in solemnibus: quia solemnitas votorum Ecclesiae inuentum est.

8. Quis Religiosus ad Cardinalatum, aut Episcopatum promouetur: manet ne essentialibus votis Religionis obstrictus? Ita equidem licet quoad aliquos effectus paupertatis, & obedientiae exemptus per accidens censeatur: quia nihilominus manet sub Summi Pontificis obedientia, qui omnium Religionum caput.

9. Religiosus factus Cardinalis, aut Episcopus, debet ne seruare suam Religionis praescripta? Debet saltem ex moralis honestatis obligatione, ea scilicet, quae cum dignitate sua potest consistere, v.g. habitum suae Religionis deferre. Porro Religiosus ad secularem Parochiam promotus habitum suae Religionis deferre, & alia praescripta Regulae, quatenus cum munere, & laboribus suis consistere possunt obseruare debet, etiam sub culpae obligatione, si Regula Ordinis ita praescribat. Qui quidem Religiosus dum Parochiam secularem administrat, in plerisque Diocesis Episcopo subiicitur: verum in his quae ad Regulam Ordinis spectant, v. g. vt gestet habitum, videtur Abbati, seu proposito Monasterij manere subiectus.

10. Quot sunt Regulae religiosae? Quatuor, S. Basilij, S. Augustini, S. Benedicti, S. Francisci, sub quibus omnes Religiosi viuunt, praeter Carthusianos, & Societatem Iesv, qui quidem Ordines propria statuta habent.

11. Comparatae Religiones inter se. Profecto omnis variorum Ordinum diuersitas, vt inuimus, accidentalis est; quia omnes variis mediis ad Christianam perfectionem tendunt, quae in charitate, & coniunctione cum Deo consistit. Triplex Religiosorum vita Contemplatiua, scilicet vacans Deo per contemplationem, & orationem: actiua, seu vacans proximo propter Deum per opera misericordiae tum corporalia, tum spiritualia: & Mixta ex vtraque. Cuiuscumque Religionis perfectio

720 *Moralis Theologiae Tract. VI. Status,*
perfectio attendenda est tum ex fine eius proprio, tum ex
mediis, quæ ad hunc ipsum finem, & tria substantialia vota
implenda, ac denique charitatis perfectionem consequen-
dam conuenienter adhibet.

CAPVT II.

De Religionis ingressione & abscessu.

§. I.
Ingres-
sus Reli-
gionis.

12. **V**Oui me Religionem ingressurum: quidnam præstari
debeo? Moralem diligentiam adhibere, vt in aliquo
Ordine suscipiaris, tui voti spectata conditione.

13. *In mea prouincia pluribus aditis Monasterijs non recipior: sed tamen spero alibi suscipiendum: num extraneas terras adibo?* Ex circumstantiis equidem personæ vouentis colligendum est, vtrum obligationem te conferendi ad alias terras suscipere intenderis; quia masculi solum intentionem habere censentur ad monasteria suæ patriæ: feminae verò ad monasteria vicina propter cognatorum communitatem.

14. *Si in ordine laxiori non recipior, teneor ne ad strictiorem: v.g. Capucinorum?* Minimè; præcipuè si delicatus sis, quia in generali promissione non obligaris ad ea, quæ in specie promissurus non fuisses.

15. *An sub generali voto Religionem ingrediendi, non Clericalis equitum militarium comprehendendi videatur?* Non; quia strictè Religio non est, quæ tribus substantialibus votis absolute non illigatur.

16. *Vouit certam Religionem, & in vno Monasterio repulsum: debeat ne alia eiusdem Ordinis adire Monasteria?* Ita quidem, si spes sit suscepturum; secus si certi Monasterij ingressum speciali ex causa vouisti.

17. *Passus quidem repulsam sui non semel; sed Religiosi post ea mutata voluntate me recipere volunt.* Ingressi tenentur votum Religionis in Dei honorem editur, vouentisque spirituales utilitates; non autem in fauorem Religionum, vt hi iuri suo renunciantes vouentem obligatione sua liberari possint.

18. *Voui me in Religione laxa professurum, possum aliquando strictiorem? Potes. Et si strictiorem voui, & laxiorem ingressus sum? Peccasti; quia minus præstas, quam promiseras.* Num